Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Selectae E Profanis Scriptoribvs Historiae

Heuzet, Jean

Lipsiae, MDCCLVIIII.

VD18 12897531

Capvt VIII.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17417

Visual Library

eodemque modo coenare: *Agrigentini*, inquit, *aedificant, quasi semper victuri; et comedunt, quasi semper morituri.*

Diog. Laert. in Socrat. segm. 34. Platonis magister, Socrates, nonnullos diuites ad coenam vocauerat, et Xantippem vxorem pudebat modici apparatus: cui Socrates: *Bono esto animo*, inquit: *nam, si homines boni frugique sunt, aequo animo ferent: si mali atque intemperantes, de his nihil curandum.*

Caput VIII.

Conuiuia Lacedaemoniorum.

Plut. in Lycurg. T. I. p. 64. seq. 1. Prouidit Lycurgus, ne quis Lacedaemoniorum priuatim gulae indulgeret. Itaque instituit, vt omnes sine vllo discrimine communi mensa, et frugali victu vterentur. Nemini licebat ad publica conuiuia venire, praesumtis domi cibis expleto. Propterea acriter sese inuicem obseruabant, atque eum, qui non biberet cum ipsis, aut vesceretur, irridebant et obiurgabant, vt intemperantem, et a promiscuo conuictu fastidiose abhorrentem. Singulis mensis quindeni accumbebant vt plurimum: nec quenquam abesse, nisi grauissima de caussa, licebat. Itaque, quum e bello, quo Athenienses vicerat, reuersus rex Agis, domi cum vxore vellet coenare; portionem postulanti non miserunt magistratus.

2. Ad haec conuiuia pueri quoque, sicut ad temperantiae scholam, deducebantur. Ibi crebros de republica sermones excipiebant, magistros libere et facete cauillantes audiebant; adsuescebantque et ipsi iocari, et dicte-

ria

tia citra ſcurrilitatem iacere, atque aliorum cauillis non offendi. Namque videbatur inprimis Laconicum, cauilla aequo animo ſuſtinere. Si quis tamen ſe eorum impatientem diceret; a facetiis in illum temperabatur.

Vt quisque intrabat, natu maximus, commonſtratis ei foribus, dicebat: *Ex his nihil hic dictorum egreditur.*

Inter obſonia prima laus erat iuri nigro, quo ſenes maxime delectabantur, relicta iuuenibus carne. Vbi mediocriter biberant, ſine face recipiebant ſe domum, neque permittebatur ad lumen incedere, vt diſcerent in tenebris, et nocte commeare fidenter.

3. Sunt quidam delicatuli, mulieribus aliquando ciborum omnium faſtidio laborantibus non diſſimiles: nam et ipſi ſolitos cibos faſtidiunt. Itaque, vt obtuſum ferrum noua acie eget: ſic eorum ſtomachus acui quodam modo poſtulat nonnunquam, ſiue aceto, ſiue acerbo aliquo condimento. Quantum ab iſtis differebat Lacon ille! Qui quum conſpexiſſet quendam eiusmodi delicatulum pretioſam auiculam ſibi appoſitam prae faſtidio renuere: *At mihi*, dixit, *etiam vultur et hircus ſapiunt.* *Stob. ſerm. 17.*

CAPVT VIIII.

Caſtigata corporis obeſitas.

1. Lacedaemoniis lex erat, ne quis vultu praeferret mollitiem colore femineo, aut corporis nimiam molem haberet: hoc enim ſegnitiem declarare videbatur, illud animum parum virilem. Decimo quoque die adoleſcen- *Aelian. V. H. l. 14. cap. 7. Athen. l. 15. c. 12.*